

vel fundamentum, vel terminus: ergo cum genus sit relatiuum, necesse est, vt in illius definitione aliquid, vt terminus, addatur: ac per consequens: quia hic additur; talis definitio est quidditatiua per additamentum.

Ad argumentum.

Ad argumentum dico: quod prædicabile radicaliter, est idem quod vniuersale: quare genus hic non diffinitur per prædicabile: vt est propria passio: sed quatenus idem, quod vniuersale importat.

Ad argumenta in opo positum.

Ad argumenta in textu contra a nobis determinata hic, respondeur ad primum quod solum accidentia realia per substantiam, diffinitione quietatiua, diffiniuntur; secus accidentia intentionalia: & quamuis communis solutio aliorum maiorem argumenti intelligat de accidentibus copulatis, quæ scilicet determinat subiectum: vt simitas in naso; crispitudo capillorum; gibbositas in dorso: nihilominus nos, secundum Doct. 7. Metaph. & in 4. dist. 12. & infra quæst. de denominatiuis, vniuersaliter eam intelligimus: cum hoc tamen fateamur Doctorem prædictam solutionem sequi tanquam manifestiorem: quia in illis accidentibus clarius dictum Philosophi manifestatur: nam licet in se contra illam instatias tamen soluit: inter quas notanda est solutio secunda, & tertia, quæ fatetur naturas omnes aptas genus denominari habere vnitatem proportionis, à qua mouetur intellectus; vt natura: scilicet vni, ab illis abstracta, tribuat generis intentionem: vel etiam posse dici habere vnitatem vniuocationis: nam sicut in tertio dist. 13. quæst. 1. habet Doctores: quod recipientia alicuius forme, licet in genere entium differant, non tamen in genere recipientium; quia vt sic sunt eiusdem rationis: sic natura illa respectu huius, & illius generis erit talis. Ceterum secunda solutio, quæ adhibet ad hoc primum argumentum est clarior, & melior.

Ad secundum, tertium, & quartum.

Ad secundum, tertium, & quartum clara est responsio in textu. Ad quintum dico: quod accidens absolutum, quando diffinitur diffinitione quidditatiua simpliciter, diffinitur per notiora: ceterum talis diffinitio non est propria illius, & ideo per additamentum debet diffiniri: vt patet per Doct. in 4. dist. 12. & diffinitionibus per additamentum, nõ oportet, vt additum sit prius, & notius; quia non est pars essentialis diffinitis: sed quid extrinsecum, sine quo ipsum non potest perfecte cognosci. Nisi dicas: quod tantum substantia, quæ est proprie est, absolutum, diffinitur per notiora: secus accidentia omnia: & ita intelligitur Doctores in sua responsione.

Ad sextum.

Sextum, quod est omnibus difficile, sic formatum, vt eius efficacia, & solutio, innotescant: nugatio est dicere, pluribus differentibus: ergo diffinitio generis non est bona: probo antecedens: nam differentia, quæ intelligitur, in ly pluribus, est vna species multitudinis: sicut & diuersitas: ita quod multitudo est genus ad differentiam, & diuersitatem ex 4. & 10. Metaph. ergo sicut differentia sumpta in numero singulari includit multitudinem: sicut species suum genus: ita differentia in nominatiuo casu numeri pluralis in-

cludet multa: quia sicut abstractum, ad abstractum: ita concretum, ad concretum: ergo nugatio est dicere, multis, seu pluribus differentibus: etiam si, ly pluribus, comparatiue sumatur: nam comparatiuum idem, quod positiuum significat, licet in modo diuersificetur: patet hæc vnitima consequentia: quia superius, scilicet, multa, præponitur inferiori, scilicet differentibus: ac si in simili diceretur: animal homo currit: ergo sicut hic est nugatio: quia dicendo homo intelligitur animal: sic & ibi: quia dicendo, differentibus, intelligitur, multis.

Dices: vt aliqui dicunt: negando antecedens: nam quando præponitur superius inferiori, vt dicendo animal homo currit, non committitur nugatio per figuram Appositionis: eo quod si poneretur solum animal, posset quis dubitare, quod animal sit illud: & ideo ponitur, homo, ad specificandum, quod animal sit currens: bene tamen est nugatio præponendo inferius superiori: sic dicendo: homo animal currit.

Contra: siue præponatur inferius superiori: siue è contra; semper committitur nugatio: de primo patet, per Aristotelem 6. Topic. dicentem: si vniuersali dicto, id est superiori; addatur particul. id est præponatur inferiori, erit nugatio: vt in iura expediens: quia omne iustum est expediens: non tamen è contra: ab undens, ergo iustum: id est superfluum: & nugatorium est ponere in diffinitione expediens, ly iustum, vt præcedat ipsum.

De secundo patet per rationes differentiarum superioris, & inferioris: nam ex 7. Metaph. nugatio est præponere pedalitem bipedalitati: & pedalitas est differentia superior, & bipedalitas inferior: quia animal aliud est habens pedes: aliud non habens pedes: aliud bipes: aliud quadrupes: & quod sit nugatio probat & expliciter: & ex positione diffinitionum pro diffinitis: & ex transpositione terminorum: vtrobiq; enim committitur nugatio, id est vnus, & eiusdem dictio nis bina bina repetitio: ex primo sic dicendo: pedes habes duos pedes habens, loco istius: animal pedes habens bipes: nam si auferamus bipes: & ponamus eius diffinitionem, duos pedes habens; ly habens pedes, bis inutiliter reperitur. Ex secundo vero probatur: si terminus, qui erat prior ponatur posterior: & è contra: sic dicendo cum Doctores: animal bipes pedes habens: vbi est manifesta nugatio: quia quando dico: bipes: intelliguntur pedes, vel pedes habens: ergo si est nugatio, transpositis terminis, eadem erat ante transpositionem terminorum: quia ex primo. Periherm: verba transposita idem significant.

Quare aliter responderet Doctores: quod quando dicitur: pluribus differentibus specie: illa diffinitiones non ponuntur vt partes diuersæ: aut distinctæ: aliter conuincit argumentum: sed sequens dictio exponit precedentem: vt intelligitur, quomodo genus prædicatur de pluribus: & ne aliquis posset dubitare; ideo additur differentibus specie: non quod sit particula distincta, sed idem, cum ly pluribus, importans.

Responsio argumenti.

QVÆST.

QVÆST. IIII.

An genus, in actu exercito, prædicetur de specie?

Animal, cum sit genus, de Homine, Equo, & Boue, prædicatur, cap. eodem.



CIRCA hanc particulam: genus prædicatur de specie: quæritur: an genus prædicetur de specie, loquendo de prædicatione exercita,

Cap. 2.

Tex. com. 30. & 33.

in fundamentis istarum intentionum: utrum hæc sit vera: homo est animal: & consimiles? Quod non videtur: quia pars non prædicatur de toto, per Arist. 4. Topicorum: ideo dicit, eos peccare, qui partem dicunt esse genus. Sed genus est pars speciei, per Arist. 5. Metaph. capitulo de toto: & probatur: quod enim est pars diffinitionis, est pars diffinitis: sed genus est pars diffinitionis: ergo est pars diffinitis.

Item: materia non prædicatur de illo, cuius est materia: sed genus est materia speciei: ergo, &c. maior patet: quia materia est per se in potentia ad illud, cuius est: compositum autem est in actu: minor probatur per Porphyrium in hoc capitulo dicentem: genus esse principium specierum: & dicit; quod conuenit cum secunda significatione: nõ est autem principium formale: quia non distinguit speciem ab alijs: 7. Metaph. tex. com. 49. forma autem distinguit speciem ab alijs: nec efficiens: quia non facit speciem esse in actu: nec finis: quia propter ipsum non est species: cũ sit imperfectius specie: ergo est principium materiale: idè patet per Porphyrium cap. de differentia: vbi probat diffinitionem secundam differentiarum, per hoc, quo differentia habeat similitudinem formæ, genus vero materiæ.

Ad hoc secundum dicitur: quod genus non est materia, sed forma: quia per Arist. 7. Metaph. tex. com. 35. omnes

partes diffinitionis sunt sicut formæ. Et cum dicitur: forma distinguit: verum est de forma ultimata, & completiua: genus autem non est huiusmodi forma.

Ad secundum, dictum Porphyrij dicitur: quod ipse non dicit, genus esse materiam: sed simile materiæ: quia est indeterminatum.

Contra: forma non prædicatur de composito: sicut nec materia: quia repugnat composito, ratione materiæ, ratione cuius est in potentia.

Dicitur: quod duplex est forma: quædam enim est altera pars compositi: alia vero consequens compositum. Prima, vt anima: & hæc non prædicatur de composito: secunda, vt humanitas, quæ resultat ex compositione materiæ cum forma: huiusmodi forma est genus, & hæc prædicatur de composito.

Contra: forma secunda non prædicatur de composito, nisi in concreto: hæc est enim falsa: homo est humanitas: sic autem, scilicet, in concreto, materia potest prædicari de composito: ergo prima responsio non valet, negando genus esse materiam, & concedendo ipsum esse formam, ad saluandum ipsum prædicari de specie.

Ideo, dicitur aliter ad utrumque argumentum principale: quod pars, vel materia, in abstracto, non prædicatur de toto: in concreto tamen potest: & sic per genus significatur.

Contra: omne concretum est denominatum tantum: si igitur genus prædicatur in concreto de specie, prædicabitur de ea denominatione: probatio prima propositionis: denominatiua dicitur, quæcunque ab aliquo solo casu distincta habent denominatione: huiusmodi sunt omnia concreta respectu abstractorum: consequens est falsum: quia genus vniuoce prædicatur de speciebus: non ergo denominatione: quia sunt disparati modi prædicandi. Similiter idem ostenditur in principio secundi Topicorum.

Item: omne concretum significat formam, vt inhæret subiecto: sed nulla substantia est in subiecto, per Aristotelem in Prædicamentis in capitulo de substantia: igitur nihil significans substantiam est concretum.

Alter dicitur: quod licet materia, vel

Cap. 30

Proprietate de primo

vel pars realis, non prædicetur de toto: materia tamen, vel pars rationis, potest prædicari, cuiusmodi est genus.

Tex. com. 33.

Contra 7. Metaph. dicit Arist. sicut ratio ad rem: sic partes rationis ad partes rei: ergo permutatum: sicut partes rei ad rem: sic partes rationis ad rationem: sed partes rei per se non prædicatur de toto: ergo nec partes rationis.

Lib. divisionum.

Dicitur secundum Boetium: quod genus in diffinitione est pars: in prædicando vero totum.

Contra: secundum quod cadit genus in diffinitione speciei, prædicatur per se primo modo de specie: quia primus modus est; quando pars diffinitionis, vel diffinitio, prædicatur de diffinito: ergo secundum eandem rationem se habet, ut diffinit, & ut prædicatur.

Item: aut sic, & sic, sumptum est univocum, vel æquiuocum: si æquiuocum; ergo non est genus, nec diffiniens: si univocum: ergo idem utrobique significat: & ita vel utrobique erit pars, vel nusquam.

Tertio ad principale: sequitur. homo est animal: ergo humanitas est animalitas: consequens falsum: ergo & antecedens. Probatio consequentia: quando enim est prædicatio per se in antecedente, tunc tenet à concretis ad abstracta: quia si sit per se, tunc est veritas in concretis ratione essentia significata, & non ratione illius, quod concernitur: quia in per se primo modo prædicatum prædicat essentiam subiecti: sed ipsa essentia abstracta ab eo, quod concernitur, significatur proprie per abstractum: ergo vera est in abstracto.

Item: patet in exemplo: licet enim non sequatur: Musicum est album: ergo Musica est albedo: quia antecedens non est per se: bene tamen sequitur: album est per se coloratum primo modo: ergo albedo est color: quia ex modo significandi terminorum, idem ponitur in consequente, quod per se exprimitur in antecedente. Probatio falsitatis consequentis: quia si humanitas est animalitas: pari ratione, humanitas est rationalitas: nam æque per se prædicatur rationale de homine: sicut & animal: & sic ex illis duobus sequitur in tertia figura: ergo per se rationalitas est animalitas, quæ falsa est: igitur maior: quia ex maiori sequitur minor: quia si minor est falsa: sequitur quod maior: quia simi-

lis ratio est de utraque. Quod illa conclusio sit falsa: proba. omnis enim prædicatio vera in abstracto est per se primo modo: sed hæc non est per se: rationalitas est animalitas: quia genus non prædicatur per se de differentia, per Aristot. 6. Topicorū; & 3. Metaph. ergo, &c. Probatio maioris: quia Aristot. 7. Metaph. volens ostendere differentiam superiorem esse de intellectu inferioris ostendit ex hoc, quod fixio pedis est pedalitas quædam: quia, scilicet, est vera prædicatio superioris differentia de inferiori differentia in abstracto: sed quod est de intellectu alterius, prædicatur per se primo modo de illo.

Cap. 8. Tex. com. 10. Tex. com. 43.

Idem ostenditur ratione: quia abstracta significant essentiam secundum se: igitur si unum vere de altero dicitur, cum hoc verbo, est; hæc essentia est illa: & ita prædicatum prædicatur essentialiter de subiecto: quare per se primo modo.

Item: quarto ad principale potest argui per media communia: quia ubi species subijcitur, & genus prædicatur: propositio est falsa: quia subiectum, & prædicatum, accipiuntur sub oppositis rationibus: ergo propositio falsa: consequentia patet: quia non propter aliud est hæc falsa: albedo est alba.

Item: sicut affirmatio animalis sequitur ad affirmationem Asini: sic negatio ad negationem: sed sequitur: homo est Asinus: ergo homo est animal: quia oppositum consequentis non stat cum antecedente: ergo sequitur: homo non est Asinus: ergo homo non est Animal. Antecedens est verum: ergo & consequens. Probatio primæ, per Arist. 1. Posteriorum: si affirmatio est causa affirmationis: ergo negatio est causa negationis.

Tex. 30.

Item: probatur ratione: quia sicut affirmatio Asini ad suam negationem: ita affirmatio animalis ad suam negationem: ergo permutatum: sicut primum ad tertium: & secundum ad quartum: iste modus arguendi patet esse bonus per Arist. 2. Priorum, in illo capitulo: quando autem convertuntur extremitates: ubi ponit duas regulas manifeste modum hunc arguendi continentem: hoc etiam modo arguendi videtur primo Perihermenas circa finem, ad determinandum illam questionem: utrum autem contraria, &c.

Cap. 21.

Cap. 3.

Item:

Item: aut prædicatur de homine animal, quod est idem homini: aut quod est aliud ab eo: si idem: igitur idem prædicatur de seipso: si aliud: igitur illud aliud non poterit prædicari de homine.

Item: si homo est animal, tunc tota natura animalis est in homine: aliter enim non esset animal nisi secundum quid: sed totum est, extra quod nihil est, per Aristot. 3. Physicorum: ergo extra hominem nihil est naturæ animalis: ergo Asinus non est animal.

Tex. com. 63.

Item: si homo est animal: & animal est genus: ergo homo est genus.

Dicitur hic; quod est fallacia accidentis propter variationem medi: quia ut prædicatur de homine, accipitur secundum esse in suppositis, vel quiddicitum: ut vero ei convenit intentio, accipitur secundum esse, quod habet, ut comparetur ad intellectum: quæ quidem faciunt extraneitatem in termino.

Contra: omne, quod prædicatur: prædicatur sub ratione alicuius univocals: ergo hic; homo est animal: si proprie prædicatur: prædicabitur sub ratione alicuius univocals: non alterius, quam generis: ergo illa prædicatio non est sibi extranea, secundum quod accipitur hic: homo est animal.

De specie, arguitur specialiter: quia in corruptibile non prædicatur de corruptibili: individuum est corruptibile. species est in corruptibilis, per Aristot. 7. Metaph.

Tex. com. 35. & 53.

Cap. de genere.

Ad oppositum est Porphyrius capitulo de specie: ubi dicit: quod omnia superiora de inferioribus prædicantur: & hic, post diffinitionem datam, exemplificat: ut animal de homine.

Item: per Aristot. in Prædicamentis; secundæ substantiæ prædicantur de primis: quod probat: quia enim animal prædicatur de homine: ergo de aliquo homine.

Item: primus modus dicendi per se est, quando diffinitio, vel pars diffinitionis, prædicatur de diffinito: ergo hæc est per se primo modo: homo est animal: ergo necessatio: igitur vera. Consequentia patet per Arist. 1. Post. & primum antecedens similiter.

Tex. 9. & 15. & citat.

Item: sequitur: homo currit: ergo animal currit: ut dicitur in Prædicamentis, antequam ponat proprietates sub-

stantiæ: & probatur ratione: quia oppositum consequentis non stat cum antecedente: sed omnis consequentia enthymematica tenet virtute alicuius medij necessarii, per quod reduci potest in syllogismum: illud medium in propositione est hoc: homo est animal: ergo illud est necessarium: quia omnis consequentia bona est necessaria: & quod medium sit necessarium ad consequentiam, patet per Aristot. 1. Priorum, & Posteriorum: ubi dicit, quod ex uno nihil sequitur, scilicet, sufficienter: nisi aliud sub intelligatur.

Tex. 28. Tex. 6.

Dicendum ad questionem: quod prædicatio superioris de inferiori univocallyter vera est.

Ad primum argumentum solvendum: nota: quod genus sumitur ab aliquo materiali in specie: & illud primum importat de suo intellectu determinatum: non tamen per modum partis illud significat: sed per modum totius: & ideo totum ex consequenti importat. Et ita differentia: primo significat aliquid formale in specie, à quo accipitur: sed totum ex consequenti: quia illud formale importat per modum totius. Si enim utrumque idem primo importaret: non posset vitari nugatio in diffinitionibus: quia positis diffinitionibus pro nominibus, quod esset de intellectu utriusque, illud idem bis diceretur: si etiam alterum significatum suum haberet per modum partis, prædicatio eius de toto esset falsa propter modum repugnantem.

Dici igitur potest ad primum, & ad secundum argumentum: quod materia, vel pars, intellecta per modum partis, non prædicatur de toto vere: intellecta tamen, per modum totius, potest vere prædicari: ut Avicena exemplificat de manuato, & capitato, quæ diversa significant: primo, scilicet, manum, & caput: utrumque tamen ex consequenti significat totum: ex hoc, scilicet, quod significat partem per modum totius: ut manuatum exponitur per habens manum: ubi habens non est de significato manuati: sed de modo significandi per modum totius: non enim est partis habere manum, sed totius. & ita exponitur: animal, habens sensum: rationale habens intellectum.

9. Metaph.

Quia vero responsiones prius dictæ possunt